DE REGNO ANGLIAE, FRANCIÆ, HIBERNIÆ AD

1070. b
2

SERENISSIMVMET INVICTISS. IACOBVM 6. Scotorum Regem vltrò delato.

PANEGYRICON.

Autore Ioanne Echlino *Philosophiæ professore in Collegio* Leonardino, apud Andreapolitanos.

K

Excudebat *Robertus Walde-graue*
Sereniss. Reg. Maiest. Typographus.
cIↃ IↃ cIII.



Ad Seren. Princip.

IACOBVM SEXTVM,

Britanniæ, Franciæ, Hiberniæ

Regem longè potentiſſ.

EPIGRAMMA.

NEmpe Britannia, ſi qua fides adhibenda Maroni,
Diviſus veteri eſt Orbis ab Orbe novus.
Qui novus? an Romæ quia non niſi ſerò reperta,
Sicut Niliacus prodidit hiſtoricus.
Pace igitur liceat Regum veterumque, novorumque,
Hoc fari de te, Rex *IACOBE*, mihi;
Te ſolum propriè nomen meruiſſe Monarchæ,
Romani quamvis, Aſſyrijque fremant,
Et Medi, & Perſæ, & Graij, & gens barbara, Turcæ,
Et quot ſunt Reges, quotve fuere prius.
Non ego te veteris jam comparo Regibus orbis,
Sed Soli ſtatuo mundi vtriuſque parem:
Maxima in adverſo Regum nam copia mundo,
Rex alius, niſi tu, nullus in Orbe tuo.

Ad Lectorem Tetrastichon.

Pictor opus cum forte suum laudaret Apelli,
Hæc ait, ô spatio est picta tabella brevi.
Ille refert, vel non iuranti credo, tacente
Autore, id loquitur muta tabella satis.

DE REGNO ANGLIÆ, Franciæ, Hiberniæ ad Sereniss. & *inuictiss.* IACOBVM 6. *Scotorum* Regem vltrò delato.

PANEGYRICON.

VNde repentino strepuerunt Cymbala cantu,
Igniuomaq; volant magnum per inane sagittæ
Crebraq; terribili resonant tormenta fragore,
Murmureq;, et sæuis imitata tonitrua flãmis,
Vnde nouo exultant plausu fremituq; secundo
Matres, atque viri, pueri, innuptæq; puellæ,
Quis subiit ardor trepido præcordia motu,
Vt libeat cunctis festas agitare Choreas,
Vt noctem accensæ tedæ, et funalia vincant,
Dic dea, si colui teque, et tua pectore puro
Sacra, renascentem neu dedignere Poetam.
Iam nec Roma suos memoret ventosa triumphos;
Græcia nec mendax Marathoniæ prælia iactet:
Contigit antiquis res anteferenda Trophæis;
Namq; Caledoniæ Rex inuictissimus oræ,
Re meritoque (valet si quid modò viuida virtus)
Spe votisque hominum Princeps, sed nomine Sextus
Totius imperium terræ obtinet ipse Britannæ
Solus, et vnitas rerum moderatur habenas.

Ilicet euehitur tanti ad fastigia Regni,
Non quibus ascendunt Capitolia celsa Tyranni
Effrænes gradibus, non cæde et sanguine, apertis
Viribus intrusus, non artibus insinuatus
Occultis: sed dum Regnum componit auitum
Intentus propriis tranquillo pectore curis;
Interea alterius delati nuntia Regni
Aduolat, attonitas et præterlabitur vrbes
Aurea equis inuecta albis, et candida pennis
Fama citis, volucresq; fuga præuertitur Euros:
Sic qui depositum studio, curaque fideli
Custodit, Spartamq; acceptam exornat et auget,
Ad meliora Idem fatis ducentibus vltrò
Tollitur, et plures regnare iubetur in vrbes.
Scilicet ex alto in meritos, cumulantur honores.
Haud aliter memorant, si fas componere Regi
Priuatum, à Curibus paruis, Laribusq; Sabinis
Insignem pietate Numam, meritisq; verendum
Ausonios olim ad fasces, et sceptra vocatum.
Magna quidẽ Angloriũ Procerũ, sanctiq; Senatus
Magna quidem certè laus, quòd submittere iusti
Principis arma iugo voluere, fidemq; sequuntur,
Quod prompti ac faciles Regis mandata capessunt,
Quod Dominũ agnoscũt, quod tã reuerenter adorãt.
At tibi diuini quæ muneris Autor Elisa es,
Nobile iudicium quæ feceris, instar Oloris
Suauiùs extremos qui iam propè luminis haustus
Deproperat cantus, et se peruincere tentat;
Quæ tibi quæ tali pro munere carmina reddam?
Non mihi si totum pandant Helicona benignæ
Aonides, plenaque manu si flauus Apollo
Castalias mihi fundat aquas, et gurgite mundet,

Sim

Sim satis: hoc agite, ô Vates, huc tendite neruos.
Præbet inexhaustos vobis pia Elisa labores.
Tuque adeò, tu Virgo mihi aspirare canenti
Diua velis, etenim mihi semper habebere Diua,
Et tibi sacra feram solenni more quotannis;
Ipse tuum, spretis, nomen Numenq; Camenis,
Implorabo, tuis sperabo et certus ab aris
Auxilium præsens, facilesque in carmina vires;
Tu fortunatæ numerasti plurima vitæ
Secula, te pietas circumstetit, aurea sub te
Principe Pax nitidis fulsit sublimior alis,
Et pacis iurisque comes bona Copia cornu
Diuite, et omnigenûm prælarga opulentia rerum.
Te regnante, tuis Saturnia secula seclis
Reddita sunt; duce te Elysios, camposque beatos
Oceano Atlantis penitus penitusque reuulsos
Traduxit nostrum felix Vertumnus in Orbem,
Indignante licet grauiter Mauroque, et Ibero,
Vnde odium in gentem, truculenti exarsit Iberi,
Saxonidûm; sed quod mediis Vulcanus in vndis
Restinxit, Classemque ferox disiecit in alto.
Tu bona felicis clausisti tempora vitæ
Funere felici magis, æternumque canendo,
Et vitam anteactam superat vitæ vltimus actus.
Hunc, tibi quem dederunt diuina humanaque iura
Hæredem Regni tabulis facis esse supremis,
Cogis et vnanimes in verba nouissima Patres
Sincera iurare fide; tibi tempore tali
Quis non pareret tam iusta atque æqua iubenti,
Quæ Deus, et ratio, nátur aque prouida sanxit?
Salue Regina, atheriis adscripta Manipis
Indigetum in populo, claraque in parte locata

Aetheris, et lucem fundens mortalibus almam;
Vsque faue, et votis iam nunc assuesce vocari.
Præcipuoq; tuos complectere amore Britannos,
Quos modò lætitiam festam, tristesque dolores
Ambiguos inter liquisti; Præside tali
Orbati nequeunt lacrymas cohibere cadentes:
Contrá dum reputant mortis quoq; commoda, quo se
Consolentur habent: sed quid solatia nuda
Commemoro? Certè non tantùm in tempora longa
Quod lætentur habent, sed quod sine fine triumphẽt.
Ergo Heros inuicte, Polo carum caput, audis
Nomine qui Sextus, nulli virtute secundus,
Macte nouo Regno, antiquá pietate, fideque:
Debita iampridem tibi sceptra capessere tempus,
Quæ tibi spondebant redeuntibus ordine fatis
Sidera, sub primos generosi seminis ortus:
In te vno geminum duplici ius sanguine mixtum,
Deniq; conueniens, veniens ab vtroque Parente
Tramite directo, serieque propaginis æqua,
Ecce caput triplici sacrum Diademate cingit
Franciæ, Iernesque simul, terræq; Britannæ.
Quàm multi insidias occulto Marte parabant,
Quàm multi meditari ausi, bellumque minari.
In speculis vigil omnis erat vicinia, apertis
Faucibus vsque inhians prædæ perstabat opimæ:
Concepêre animis omnes, auidiq; vorarunt
Spe trepidá Anglorum terras, et non sua Regna
Prætumidi, et vanis onerarunt æthera votis:
Hinc armis opibusque potens, et Milite fretus
Instat Gallus: et hinc titulum mentitus Iber trux
Nescio quem titulum, Mariæ steriles Hymenæos,
An Maria extincta pulsum eiectumq; Philippum

Finibus

Finibus Anglorum, tetri pòst semina belli,
Quo draco, flammiuomo metuendus et ore trisulco,
Cantabricam exusit Neptuni in gurgite Classem:
Multaque præterea passim terraque marique
Ductores alii Angligenûm fera damna dedere,
Dum modo formicas obiectis nauibus Indas
Expoliant auro, Phryxeaque vellera carpunt;
Et modo depopulant vrbes, Gadesque lacessunt.
Adde his insidias cæcas, artesque pelasgas
Dicam, an Romuleas, Babylonia monstra, Simonis,
Siue Magi potius vafri commenta Simonis,
Namq; magi, haud Petri est verus successor & hæres
Hic Orbis fera pernicies, communxis Erinnys
Omnia conturbat, magnos miscetque Monarchas,
Committit Reges, et verso pollice Cleri
Quem libet occidit populariter: omnium et unus
Fertque refertque vices, gladio & depugnat vtroq;
Ergo serique metique sibi hic cum Papa videret,
Multa dolens tantam ereptam de faucibus offam
Tempore tàm longo, reputansque incommoda fructus
Amissi, & sanctæ tot detrimenta Culinæ,
Nullum non lapidem mouit, quó auertere posset
A Scoto, inque suum rem quó transferret Iberum:
Ista nempe ratus salvas ratione futuras
Papicolis decumas, & rura ingentia latè
Cæteraque ignauæ compendia turpia Sectæ,
Ceu pòst liminió in fratrum reditura Cucullos.
Quid loquar Indigenas etiam, Regnique clientes
Conditione sua maius sperare cacumen
Ausos, in Dominæ voluisse ascendere sedem?
Hos motus animorum, atque hæc certamina tanta,
Litem hanc Reginæ prudentia cana diremit:

Illa Deum autorem, & Naturæ iussa secuta
Imperij summam Sexto transmisit habendam.
Tu verò teneris Cæli indulgentia ab annis,
Perpetuusque favor Superûm quem fovit & auxit
Quem toties ævo incolumem defendit ab hoste,
Nuper & ad Perthum violenti ex ore Leonis
Eripuit, cape sceptra manu, cape tradita sceptra
Debita iure tibi. Quòd si (quod & absit, abestque)
Fortè negata aliquo prætextu, aut fraude fuissent.
Non tibi deest animus, non pulchro in corpore vires
Equis enim melius tractet fera munera Martis,
Quàm qui fulminei duris quatit ora lupatis
Acer equi, celeres & torquet in agmine gyros,
Sub dio qui nudus agit, qui frigora temnit,
Longaque venando patiens ieiunia vincit,
Cui genus acre virûm, gens insuperabilis armis
Scotigenæ parent, tua, quáfors cunque iuberes,
Iussa parata sequi, in terras vbicunque remotas:
Non desunt & Cognati, Sociique, & Amici,
Qui se devoueant pro teque, tuaque salute
Sicubi opus fuerit ius experiaris vt armis:
Quinetiam Augusti generis spes maxima Princeps
Filius ore Patrem referens puer indole Diâ,
Qui virtute suos anteit non degener annos
In partem sese iunxisset sponte laboris:
Sed nunc mi erat his opus, & Dijs gratia habenda est,
Qui mentẽ hanc dederunt Anglis, rectumq;, piumq;
Vt colerent, nec te frustrá fraudare studerent.
Nunc age, coniunctis æterna in fœdera dextris,
Riteque compositis inter nos mutuó bellis,
Et causis odijque simultatumque sepultis,
Viribus vnitis alios vtamur in vsus.

Tu modò communem populum, paribusque guberna
Auſpicijs: liceat ſub te coaleſcere in vnum
Saxonidas Scotis: & quos communio linguæ
Antehac deuinxit, iam dehinc magis arctà revinctos
Vincula connectant, coeant & legibus vnis
Sicut Rege vno, ſit grex vnius ab vno
Vnus, adhæc valeant odioſa vocabula Scoti
Atque Angli, ſubeat nomen commune Britanni.
Quó feror, aut quid ago? an mens obruta & ebria dulci
Lætitia, nullum potis eſt ſibi figere finem?
Pone modum, mea Calliope, iam feſſus anhelo,
Silua ingens: rerum maior mihi panditur ordo,
Tanquam Hydra: at ſatius medium eſt abrumpere filum,
Atque onus haud humeris æquum citó ponere, quàm póſt
Affligi ad terram ſub iniquo pondere preſſum.
Dicere conabar: quamvis Natura negaſſet
Id iuris quod habes, tamen his maiora fuiſſe
Virtuti donanda tuæ quoque præmia, ſi quis
Æſtimet ex meritis, & congrua munera rebus
Reddere fortè velit: Quis te prudentior vno?
Quis facundior, aut, Muſis quis gratior ipſis?
Rore Aganippæo quis largius ora rigauit?
Non eſt in toto quiſquam clementior orbe,
Cuique magis faciles tribuit Natura benigna,
Aut magis ingenuos Sophiâ ſub Iudice mores:
Non eſt aut recti ſollertior arbiter alter,
Aut incorrupti Vindex conſtantior æqui,
Aptior aut bello, aut pacis ſtudioſior almæ,
Virtutum cinnus, Suadæ illibata medulla,
Corque merum Sophiæ, veræ pietatis alumnus,
Strenuus aſſertor Fidei, cætuſque fidelis,
Doctus & ad Lydium lapidem fermenta profana

Pontificum, à puri diſcernere polline verbi.
Hactenus arcta leues laudum hæc elemẽta tuarum
Alludunt aditus. Alij quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan,
Queis faciles Muſæ, blandumque arriſit Apollo,
Cantabunt laudeſque tuas, laudeſque tuorum,
Egregioſque animos: Me nec tua ſplendida facta
Ingenij culpa tenuis, pinguiſque Mineruæ
Deterere eſt æquum, ſpatijſque incluſus iniquis
Impedior ventis expandere vela ſecundis.
Quod ſupereſt: Superos toto de pectore ſupplex
Obſecro, & obteſtor, propria hæc vt gaudia faxint,
Et quæ contulerunt, porrò tibi firma tueri
Regna velint: fauſtam tribuant in plurima vitam
Secula, Neſtoreos & cùm ſuperaueris annos,
Iam tibi promiſſum ſuper aurea ſidera Regnum.

Accesserunt eiusdem de eòdem argumento Epigrammata varia.

ANGLVS LEONI LVBENS, MERITOQVE regnum deferens.

SCeptra quòd, vt debes, defers Scoto, Angle Leoni
Laudo equidem, ánne etiam gratia habenda tibi?
Qui pote? quum meritò tradas sua sceptra Leoni,
Et regna accipiat debita iure sibi:
Verùm adeo nunc res rediit, fortasse vt habenda
Gratia sit, vel quum quis facit officium.
Quòd verò officium facis, haud ægrè, atque grauatim,
Quodque lubens facis hoc, quod meritoque facis
Quòd Dominum agnoscis, non vique, metúve coactus,
Sed patriæ amplexus mutuò amore patrem:
Quanta tibi à toto debetur gloria mundo,
Gratia magnanimo abs quanta Leone venit:
Is bene promeritis capiturque, & tangitur ira,
Multaque dissimulans, singula ritè notat:
Nil frustra Leo magnanimus paciturve, facitve
Subiectis parcit, corda superba domat.

De Angliæ, & Scotiæ, duorum Regnorum olim inter se æmulorum, felici tandem in vnum Britanniæ Regnum florentissimum, ac potentissimum coalitione.

HOrrida continuis vexata Britannia bellis,
Assiduo pinguem sanguine tinxit humum:
Dum modó Romanis quatitur vehementiùs armis,
Cimbrorumq́, graues sustinet ægra manus,
Et modò amicitiæ specie, auxiliique ferendi,
Insidi premitur Saxonis insidijs.
Quid Neustrum, Pictumq́, loquar? quid nuper Iberum
Inque Caledonio Gallica signa solo?

Et concurrentes in mutua vulnera fratres,
Belligerosq; Anglos, Scotigenasq; feros:
Infestis animis, vario sed marte, seruntur
Hi duo de imperio belliger asse diu.
Ergo fatigatos quum fata, Deusque viderent,
Atque vnum in populum regna coire duo
Iam decreuissent: positis, hinc indeque bellis
Gentem vtramq; simul Relligione beant.
Hac veró paulatim animos molliuit agrestes,
Flexit & ad mores effera corda bonos:
Atque adeó lustris prope iam bis quinq; peractis,
Pax firma Angligenis Scotigenisq; stetit:
Et nunc vnum, ambus faustis, superisq; benignis
Vidimus in regnum regna coisse duo.
Relligio demissa Polo mortalibus ægris,
Principio regni est Elisabetha *tui:*
Te pietas Iacobe, *orbi, nascente renata est,*
Quam sanxti teneris semper ab vnguiculis:
Tempore deinde suo sociantur, & ordine, Sceptra
Quæ duo iam fuerant in caput aucta tuum.
Elisabetha Iacobi, Iacobe ô Elisabethæ,
Vos nobis quanti causa & origo boni:
Altera defuncta in cælum iam Diua recepta es,
Alter at in terris nunc quoque pænè Deus.

Comparatur Diua *Elizabetha* cum *Alexandro Magno.*

REx Macedûm evertit Thebas, Græcosque subegit,
Hæc omni Angligenas munit & ornat ope:
Illius imperium rapido ruit impete gentes,
Cumque autore simul statque caditque suo.
Hæc regna antiqua, & multos stabilita per annos
Tradit habenda, vllo nec violanda die.
Ille quidem successorem non nominat vllum,

Id multivrgerent expeterentque licet,
Artibus hæc Regem eximium bellique, togæque
Hæredem instituit, constituitque suum.
Ille satis dignum nullum toto orbe videbat
Cui post se tantum traderet imperium:
Hæc vnum contrà vidit se judice dignum,
Et plusquàm dignum credidit esse virum.
Ergo Pellæi discordia sceptra tyranni
Scindunt jam miseris, dilacerantque modis,
Pro se quisque rapit partem, & se mutuò frangunt,
Dum variâ certant ambitione diu.
Attriti tandem in prædam cessere cruentam,
Romani & victos in sua jura trahunt.
Tu uerò, tu *Iacobe* hujus successor & hæres,
Regna tua, ô regnis qui geris aucta novis
Impia prosternes sceleratæ mœnia Romæ,
Mox meretricem alto deijciesque throno.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM *IACOBVM eius nominis primum, Britanniæ, Franciæ, Hiberniæ, Regem invictiss.*

CVr triplici insignis, radias, Iacobe, Corona?
Tergemino haud frustra tollit honore Deus:
Scilicet vt triplici triplicem Diademate Cristam
Romuleæ frangas, diripiasque Lupæ.

FINIS.